

Georgius autem nomine Theodori Vicarii Patriarchalis Sedis.

Quod vero vir doctissimus Lupus ultimo loco opponit: *cur nequeat esse mendum? Laudatæ namque subscriptiones etiam Theodorum Melitinæ Episcopum, quem certum est fuisse Secundæ, vocant Metropolitanam primæ Armenia: hoc, inquam, quod Lupus opponit, nullum habet fundamentum, neque in Græcis, neque in Latinis exemplaribus, in quibus Theodorus ubique Presbyter, Τοπογράφης Ecclesiæ Hierosolymitanæ appellatur: quemadmodum etiam in omnibus exemplaribus Theodorus Episcopus Melitinæ Metropolis Primæ Armenia, & Theodosius Episcopus Sebastie Metropolis Secundæ Armenia dicuntur. Vide subscriptiones Actionis ultima Tom. VII. Concil. edit. Venet. pag. 1066. & 1078. Scio, a Justiniano Imperatore, novella ipsius xxxi., ex duabus Armeniis, quatuor factas fuisse; Primam, cujus caput Bazanis sive Leontopolis: Secundam, quæ antea Prima dicebatur, cujus Metropolis Sebaste: Tertiam quæ prius Secundæ dicebatur, cujus Metropolis Melitene. Quartam, cujus Metropolis Martyropolis. Eundem tamen Justinianum in eadem novella cavisse, ne nova illa civili dispositione, Ecclesiasticarum provinciarum ordo mutaretur: Quo vero ad Sacerdotia spectant (inquit) ea, ut sæpe diximus, volumus in pristina manere forma negotio ipso neque circa jus metropoliticum, neque circa ordinationes, nec mutationem vel novitatem suscipiente. Sic Sebaste Metropolis Primæ Armenia, & Melitene, Secundæ Armenia dicebatur usque ad tempora Justiniani Imperatoris. Verum circa idem tempus mutatio facta reperitur, ut & Sebaste & Melitene Secundæ Armenia appellari coeptæ sint in subscriptionibus Synodorum. Nam in Sexta, de qua loquimur Synodo, Theodosius Episcopus Metropolis Sebastenororum, Provincia Secundæ Armenia, Θεοδοσίος ἐπίσκοπος τῆς Σεβαστιανῆς μητροπόλεως, δευτέρως τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας: In Quiniesima Canonibus, Λεόντιος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Σεβαστίας τῆς δευτέρως τῶν Ἀρμενίων ἐπαρχίας, Leontius indignus Episcopus*

VIII.

Inconstans fuit apud Græcos Armeniarum divisio, & Metropolitanarum dispositio.